

Johann Schack

**Regi Sveciae Invictissimo & Potentissimo, Carolo XI. Domino suo Clementissimo,  
Indicenti Festivitatem Iubileam, In Memoriam Religionis Lutheranae, in Svecia  
confirmatae; Ad Illam condecorandam, Discursum hunc Historico-Politicum, De  
Sacro Religionis Iure, Devotissime submittere voluit Johannes Schack/ I.U.  
Licentiatus**

Sedini: Höpfnerus, [1693]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747410178>

Druck    Freier  Zugang





Diss. theol.

II - 1562.<sup>3.</sup>

REGI SVECIÆ  
*Invictissimo & Potentissimo,*  
**CAROLO XI.**

Domino suo Clementissimo,

*Indicenti*  
**FESTIVITATEM JUBILEAM,**

*In*  
**Memoriam Religionis Lutheranæ ,**  
*in Svecia confirmatæ;*

*Ad*  
**Illam condecorandam ,**  
*Discursum hunc Historico-Politicum,*

*De*  
**Sacro Religionis Jure ,**

*Devotissimè submittere  
voluit*

**JOHANNES Schack/**

J. U. Licentiatus.

II-1562<sup>3</sup>

*SEDINI,*

Typis SAMUELIS HÖPFNERI, Nob. & Ampl. Senat. Typogr.

N°: 57.

REGI SAECLIE  
Johannigo & Petronigmo  
**CAROLOXI.**

Douino iro Clemencissimo

ESTIVITATEM LIBRIEVM



Douino pano Physico-Locum

D.

Sacra Religionis Ius

Expositus impensis

Voluntatis

**JOHANNES** **SEIDWY**

J. II. Fiscensis

SEIDWY

LIBRARIUS HOPPEI MopG Aufgegebener Abdruck

ca: 80



Rduum ordior negotium, dicturus de *Sacro Religionis Jure*, tantis exposito haec tenus vicisitudinibus, ut quid de illo sentiendum sit, opus humeris meis per quam impar esse videatur. De rebus humanis, privatis scilicet & publicis, evulgatum quidem, qvod non diu medium teneant cursum; Sed, licet per aliquod temporis spatum immotæ steterint, tandem tamen in præceps ruant: Scilicet imbecillitatis suæ fato: Verum hoc de religionis Jure non asserendum est absolútè; qvippe qvod non infirmis mundi fundamentis; Sed *ipso divine autoritati & immutabili ejus voluntati innititur*. Interim homines qvosdam potentissimos in hoc inviolabile Religionis Jus nimium quantum imperii sibi attribuere, & conscientis subditorum imperare velle, erroneo licet ex principio, certissima docebatur experientia; hoc imprimis seculo, & proximè antecedentibus annis, ubi literæ novellæ qvemlibet ferme nostrum certiorem reddiderunt *de Tyrannica Regis Galliarum*, sera qvondam pœnitentiâ compensanda, in animas subditorum sibi assumpta potestate; in effectum per militarem manum satis injuriose & impie deductæ. De veritate & convenientia Religionis Calvinicæ, vel uti dici amat, reformatæ, cum vero & genuino *summi DEI* verbo, mihi, in Juris solummodo Doctrina versanti, non dicere vacat & competit; vel, an Religio Papistica certius ad cœlestem salutem ducat; qvam qvæ est Hugenotorum: Illud tamen exinde satis constat, qvod Religio Reformata in *Regno Gallico* per seculum, & qvod excurrit, jam tolerata, cum animarum periculo impia & violentæ cuidam mutationi subjici debuerit; modò nostris quoq; innotesceret temporibus, qvam vanis hoc sacrum Religionis Jus eludi posset mutationibus; pro arbitrio scilicet *Regis Galliarum*, & quam pravam sapientiæ & potentissimi homines de religione foverent opinionem;

nionem; adeò, ut, qvæ nec *summus DEUS* reformare vult, nec reformata amplius cupit; qvia verbum Domini, licet cœlum & terra transitura sint, in æternum manebit, à suo dependere debent arbitrio pessimo & impio. Inde fit, ut Religiones in vera pietate & fide fundatæ divinitus, mutatæ, vel superstitiones vel profanæ evadant, qvia ejusmodi *Principes* hoc mutationis genere delectantes non adeò magna Religionis cura afficiuntur; Sed potius pietatem, probitatem & fidem pro bonis privatis habent, ut qvà juvat Reges, eant. Melius facerent, si verum Religionis orthodoxæ Interesse qvovis modo & tempore promovere studerent; Id qvod, ante aliquot annos, doctissimus Dominus *Masius*, Theologus *Haffnienensis*, de potentissimo Rege *Danie CHRISTIANO V.* orbi in primis literato manifestum reddere voluit, in suo *Traictatu de interesse Principum circa Religionem*; qvamvis ab ingeniosissimo Domino *THOMASIO*, qvia docere voluit, verum interesse Principum circa Religionem, potissimum Lutheranam versari, tam Politici qvam Theologici Solecismi insimulatus fuerit. Qva de causa Doctissimi hi viri variis implicati fuere controversiis, longè tandem ex crescentibus & æstuantibus. Qvanquam non adeò improbanda est pia intentio, qvæ prætenditur, *Dominus Masius*, qvod, dum sub Rege Lutherano Haffniæ vitam transigit, ibidemq; sacro fungitur officio, Religionemq; Lutheranam profitetur, & præterea certo certior stat, se Ecclesiam sibi à *DEO & REGE* creditam ex fundamentis Religionis Lutheranæ ad salutem æternam perducturum, eò in primis cogitata direxerit: Qvodsi autem, *Religionem propter interesse status dari*, qvis velit statuere in eō debitam censuram effugere non poterit. Interim suo officio *Dominus Masius* in hoc non defuit, qvod *Regem & Dominum suum* ita in principiis & veritate Religionis, in qvâ educatus est, instituerit, ut non facile ad qvandam Religionis mutationem sit inclinaturus, qvæ non solum animabus; sed & Reipublicæ semper perniciosa exstitit; Id testantibus qvam plurimis exemplis; adeò, ut licet Reges vel *Principes* saltem religionis vicisitudinem minati fuerint; publicus status jam inde vacillare, & meræ perturbationes ex surgere inceperint. Exemplum novissimum habemus

DE SACRO RELIGIONIS JURE.

bemus in Rege qvondam *Magnæ Britanniae, Jacobo II.* Qvi, licet ar-  
canam suam intentionem de mutanda Religione admodum oc-  
cultare studeret, impedire tamen non potuit, qvo minus *Pro-  
ceres Regni* ad salvandam Religionem inveteratam, & evitandas  
varias turbas in tempore salutaria remedia qværere voluerint,  
qvàm post vulneratam causam; Hinc præposterum & præprope-  
rum suum consilium *Rex Jacobus* etiam exilio compensare coactus  
fuit. Magis pia consilia *Rex noster clementissimus CAROLUS XI.*  
pro Religione Lutherana fovet, qvam , jam ante seculum  
confirmatam in *Regno Svedico*, & ab *Regiis Prædecessoribus*, ar-  
mis & legibus strenuè defensam, omni loco & tempore conserva-  
re potius, qvam perdere voluerit. Hinc *Regia sua Majestati* semper  
curæ cordiq; fuere Viri verè Orthodoxi, qvi multas insomnes no-  
tæ duxerunt, ut contra Adversarios, cujuscunq; sectæ hæreticæ,  
veram Religionem Lutheranam viriliter tuerentur; qvam tueri,  
non solum Regius quidam Philosophus *Cartesius* ob id, qvia *Cle-  
mentissimus Rex* in eâ educatus esset; sed & in primis, Theologi  
excellentissimi in *Regno Specico*, ejusq; *Universitatibus celeberrimis*,  
scilicet *Upsaliensi, Aboensi, Lundinensi*, & in *Pomeranica Gryphica*, matre  
*nôstra alma*, serio & ex pio zelo svadere annisi fuerunt, & debue-  
runt. Inter illos itaq; in hoc genere, singulariter suo officio, præ-  
fuerunt, qvotq; *Regiorum horum Theologorum* mihi tantummodo  
noti sunt: *B. D. VÖLSCHOVIUS, B. D. BERINGIUS, B.  
D. Abrahamus BAT TUS, B. D. TABBERTUS, sacer meus astu-  
matissimus, B. D. MICHAELIS, B. D. BALTHASAR, Domi-  
nus D. RANGO, Dominus D. HENNINGIUS, Dominus D. DASSOVI-  
US*, qvi omnes, in *nôstra Academia Gryphica* longè, ob publica sua  
scripta theologica meritissimi & astutissimi audiunt; Et qvod  
non dubitaverint quidvis potius tentare, & experiri, qvàm permit-  
tere, ut *Orthodoxæ nôstra Specie* macula qvædam inureretur hære-  
tica. Qvorum itaq; strenuorum, tam in *Svecia*, qvam in *Pome-  
ria*, Theologorum solertia, & vigilantia pro Orthodoxa doctrina  
Lutherana, *Clementissimum nostrum Regem & Dominum* ita commo-  
vit, ut refocillati inde ignes ardoris religiosi, nec inter ardua  
belli & pacis negotia *Regiam Majestatem* immemorem five-

rint anni cujusdam Jubilei celebrandi, *in memoriam religionis Lutheranae in Sveciam introductae*. Sit itaq; FELIX faustusq; hic dies; qvo ex pio jussu *Clementissimi nostri Regis CAROLI XI.* recolimus *memoriam Lutheranae Religionis in Svecia confirmatae*; Tu summe & altissime DEUS; qvemadmodum per longum ævum, puram hanc doctrinam Lutheranam tam in ipso regno qvam in finibus Svedicis conservasti, & *Regem nostrum clementissimum, ejusdem Religionis Protectorem potentissimum* constituisti, ita in futurum, tam *Regiam Majestatem*, qvam *Successores ejus Regios*, divina tua gratia regas, ne animo concidant, si fortean novatores qvidam pestilentissimi se se ingerere velint. Sed, crevit hoc exordium præter intentionem, hinc ignoscatis peto, qvod patientia vestra ita abusus fuerim. Et si velitis vel si vobis ad palatum sit discursus meus tenuis, accommodetis velim animum intentiorem ad reliqua, *in memoriam religionis Lutheranae in Sveciam introductæ* jamjam proferenda.

Adest jam tempus *Jubileum* ex pia *Sacra Regia Majestatis Svecice* ordinatione, cuius temporis solennitatem tenui meo discursu celebrare allaboro: Non æq; tamen ad hunc discursum ac ad animum meum in hoc præfulgentem, respiciendum est, qv; qvoniam *Regi meo clementissimo* sum annatus subditus, insuperq; variis, in *Academia Eju Gryphica*, honoribus, beneficiis & privilegiis condecoratus & suffultus, non potest non gratam sui tesseram in medium proferre; hoc imprimis tempore, qvo annus qvidam Jubileus solenniser est celebrandus. Quemadmodum enim ex Chronologicis discimus, qvod Anni Jubilei apud Judæos usitati, & in Sacris fundati, certum habuerint finem, non qvidem *positivè* & *absolutè* talem, qvia sapientia Divinæ thesauri imperscrutabiles sunt; ex pia tamen conjecturatione, *instituti divini* causas qvasdam, viri probi & Theologi tradere non veriti sunt: de qvo videatur *D. Waltheri spongia Mosaica*; ita & nos certò certius asferere possumus, non sine fine, non sine causa, esse hunc Jubileum à *sacra Regia Majestate Svedica* institutum. Et sanè, nobis omnino verendum eset, ne divinæ pœnæ nos manerent, si pium *Regis nostri clementissimi* votum, & per consequens gloriæ summi DEI contemptui haberemus. Constat enim ex historia, qvod Judæi, qvam pri-

mūm

tum se *praeceptis divinis* immorigeros exhibuerint, & memoriam  
 veræ Religionis respuerint, etiam gratia divina exciderint, &  
 cum anteà terra eorum omni frugum abundantia gauderet, po-  
 steà hac benigna affluentia carere debuerint; adeò, ut nullo an-  
 no gravius à Regibus posteà victoribus vexati fuerint, qvam  
 qvovis anno Jubileo; Cujus calamitatis toties qvoties meminit,  
*Historicus Judaicarum antiquitatum, Josephus.* Et singulare quid  
*Cuneus de Republica Judaica* refert, qvod scilicet *Alexandri Magni*  
 tempore, cum hic Hierosolymis ex Danielis Prophetæ libro didi-  
 cisset, qvod Persarum Monarchia à Græco qvodam homine eslet de-  
 struenda; & hoc vaticinum sibi applicaret, posteà verò Judæos,  
 beneficium qvoddam petere juberet, hi Judæi nil aliud per preces  
 suas desideraverint, qvam ne *Alexander Macedo* tributa anni Jubi-  
 lei ab ipsis exigeret. Ita scilicet *summus DEUS* transgressores suæ  
 legis, & qvi omnem veræ Religionis memoriam respuerunt, puni-  
 re voluit, ut qvam ipsis acerrimam interminatus erat pœnam, sa-  
 tis experiri deberent. Sint itaq; hæc nobis exemplo, ne divinis  
 & mundanis afficiamur pœnis: Colamus corde & ore Annum  
 nostrum Jubileum! Quid enim gratius humano generi, quid sa-  
 lutarius nobis Christianis, in primis Lutheranis accidere potest,  
 qvam de vera & orthodoxa Religione Lutherana disserere, qvæ  
 animam nostram donis cœlestibus solummodo tranqvillat. Con-  
 sulamus omnes Sapientes & Philosophos hujus mundi; qvos  
*Cozzandus* in Libro de Magisterio veterum Philosophorum, qvoad se-  
 etas, doctrinam & felicitatem describere annis fuit: nil reperi-  
 mus, qvod animas illorum ita beare potuit, ut non æternæ despe-  
 rationis scrupulum usq; ad extreum vitæ halitum retinerent.  
 Tantum enim absfuit, ut verum animæ statum sciverint, ut potius  
 in nullo puncto magis erraverint hi Philosophi; statuerint licet  
 ex illis quidam animi tranqvilitatem; qvemadmodum de Epicu-  
 ro Philosopho legitur: Qvæ tamen tranqvillitas, mundana fal-  
 tem & temporaria fuit, non autem æterna. Ut autem disserentes de  
 anno Jubileo in memoriam Religionis Lutheranae in Sveciam introductæ or-  
 dinato, non planè obliviscamur istius anni, qvo primum præ-  
 dicta Religio in Svecia florere cœpit, reponimus illum ex concor-  
 dantia

dantia Historicorum Svedicorum, & docente doctissimo *Tratatu de Svecia Orthodoxa, nostri Domini Generalis Superintendentis D. RANGONIS*, in annum 1593. nec tam solliciti de computatione hujus anni esse debemus, qvam fortean Chronologici Scriptores de Anno Jubileo Judaico fuerunt; & adhuc sunt. Comperatum enim nobis est, qvod qvorundam Chronologorum opinio eò secesserit, ut etiam asserere non abnuerint, qvod annus Jubileus Judaicus ante distributionem terræ Canaan per sortem, vi mandati divini apud Judæos in usu fuerit; fed rectius statuunt alii, qvi fundamenta sua sacris superstruunt literis, & initium annorum Jubileorum apud Judæos receptorum, capiunt ab anno ηλησχίας, sive divisionis terræ per sortem, qvi fuit annus 46. ab Exodo exclusivè, & γεωγύιας inclusive. Qvamvis nec Roberti Pontani Caledonii Britanni sententia nobis displiceat, qvi rationem anni Jubilei Judaici per septenarium procedens numerum originetenus ad legem naturæ, & ipsius DEI exemplum refert, qvod ipse ab opere creationis septimo reqvieverit die. De hac autem controversa anni Jubilei Judaici computatione, nullum nobis, uti suprà dixi, incumbit negotium. Hinc de nostro Jubileo certi, operam modò dare debemus, ut primitias nostras *Summo DEI & REGI nostro clementissimo* offeramus, expectantes, pro illis in futurum, uberiorem aliquam messem. Thema autem illud, qvod meo discursui loco tituli præfixi; inscribitur *de Sacro religionis Jure*, cuius Thematis generalia sat satis præmisi, ut merito me accingere debeam, ad specialiora, in qvibus mihi tractandum proposui, *Religionis Lutheranae Jus Sacrum, qvad initium & progressum tam in Imperio Romano-Germanico; qvam Regno Svedico;* cum annexo voto, ut summus hujus Religionis Protector, *DEus ter optimus maximus*, illam non solum nostris temporibus, qvibus fermè duo extrema Christianos vexare videntur, scilicet *Atheismus & Quakerismus*; Sed & subseqventibus temporibus ab omni hæreticalabe puram conservare velit. Id qvod certè omnes verè pii, mecum ingemiscere debent, in primis illi, qvibus notū est, qvos progressus jam nostro tempore pessimus ille Naturalismus contra veram & orthodoxam Religiouem fecerit; dum qvidam Philosophiæ naturali nimium quantum

tum addicti, existentiam DEI, ex solis naturæ principiis, melius, qvam ex ipsis sacris fontibus hauriri posse defendant, inter quos primam choream dicit *Cartesius in suis meditationibus de prima Philosophia; & Bodinus in suo libello de lege naturæ*, qui aperte in eodem profiteretur, quod Religionis summa saltem in his duabus regulis continetur; scilicet *Deum colere & leges naturæ observare*. Verum solidè prædictus Bodinus refutatus est ab excellentissimo Theologo Bremensi, Domino Generali Superintendenti DICKMANNO, digno, qui memoriae nostri Jubilei ob refutationem prædicti libelli mancipetur. Tacebo jam Fanaticorum turbam, nostro hoc tempore, pestimas & pestilentissimas suas de Religionibus venum exponentem opiniones; ut si unquam certè moderno hoc tempore, proba & pia vigilantia Doctorum Theologorum requiratur; quam *Rex & Dominus noster Clementissimus CAROLUS XI.* anno hoc indicto Jubileo, non immerito excitare voluit. Qvod itaq; attinet *sacrum Religionis Lutheranae Ius, quoad initium & progressum in Imperio Romano-Germanico*, docebit nos historia publica, quibus difficultatibus illud fartum teatumq; ab initio conservatum fuerit; siquidem Præfatus ille Romanus, *Papa scilicet Leo X.* non vi solum; sed & varia astutia orbem Christianum sibi ita subjugaverat, ut fermè omnis potestas & cura circa Religionem sibi soli permetteretur. Hinc non veritus est Monacho illi Dominicano *Johanni Tezelio* concedere, ut in summum Religionis Christianæ opprobrium nundinaretur indulgentias. Quidam infidelis suis traditionibus ita genuina Christianæ fidei dogmata corrumpere studebat, ut vix Papalis illa nequitia ulterius progredi posset. Tandem post initium superioris seculi contra jactabundum & putativum hunc *Divi Petri* successorem incredibili conatu insurgere cœpit *beatus Doctor Martinus Lutherus, Theologus Wittebergensis*, qui Islebii in Comitatu Mansfeldico, Anno Χειρονοίας 1483. die 10. Novembris hor. noct. 10. Patre Johanne Luthero, Metallurgo, natuus est. Quem ipsum *Papa Romanus*, quia *beatus Dominus Lutherus* contra falsa ejus dogmata Anno 1517. d. 31. Octobr. publicas Theses Wittebergæ affigi curaverat, tam vi aperta, qvam clanculariis insidiis, ac, nescio quibus, fulminibus adortus est; adeò, ut

ut & potentissimos Europa Principes contra Lutherum moveret, paucis tantummodo exceptis proceribus, qui ex interposita, contra editum Wormatiense de prosqvendis Lutheranis, protestatione, protestantes dicti sunt: qvod nomen & hodiernum Augustanæ Confessioni addicti gerunt. Et qvia Cæsar, à parte Pontificis Romanus stans, masculè ejus partes egerat, & in bello Schmalkaldico jam protestantibus superior factus erat, perniciosissimi Papatus lernam in nostras Ecclesias reducerè tentavit; idqve libro qvodam, qui Recesib[us] Imperii, declaratio Religionis, interim vulgo nominatus, cujus autores fuerunt Julius Pflug Episcopus Naumburgensis, Michael SIDONIUS, Episcopus Mersburgensis, & Job. ISLEBIUS alias Agricola dictus. Verum hoc commentum interimisticum tandem ita contemni cœpit, ut & proverbio diceretur, das Interim hat den Schelm hinter ihm. Cum itaq[ue] Pontifex Romanus autoritatem suam periclitari videret, non ratum habuit, diutius Principum spem frustrari, qvam de Concilio qvodam ipsis fecerat, in quo serio res religionis ageretur. Sed qvia Pontifex sibi supremum hujus Concilii directorium reservabat; protestantes Principes & status de eō solemniter protestati sunt, qvia & naturalis ratio non pateretur, ut Papa esset reus & Judex. Hinc, licet illud Concilium postea Tridenti institutum fuerit, nulli tamen errores & abusus Ecclesiæ Catholicae ibidem improbat, qvinimò tantum absuit, ut disodium illud inter Catholicos & Protestantes hoc Tridentino Concilio compositum fuerit, de quo tamen plurimi spem conceperant, ut potius longe remotius eo ipso ab invicem separati fuerint. Id qvod duo summi Viri sat satis declaravere, qui concilium illud Tridentinum sub examen revocarunt; Alter scilicet Lutheranus, Martinus CHEMNITIUS, Superintendens Brunovicensis, de quo verè pronunciatum, qvod parum profecisset prior Martinus scilicet LUTHERUS, nisi posterior sc. CHEMNITIUS ipsum excepisset: Alter fuit Catholicus, mutato nomine Petrus SAVVIS, cui verum nomen est Paulus SARPIUS, Monachus Eremitici Ordinis, ac Republicæ Venetæ Theologus, cujus scriptum fere antiquitatis Ecclesiastica thesaurus est. Postqvā autem Cæsar ex omnibus, tam-

tem-

temporis, qvam tractatum circumstantiis perceperat, vix ullam disfidii religiosi componendi rationem superesce, moderato **FERDINANDI I.** tum *Rom. Regis* ingenio res hæc religiosa credita est, cujus epistola ad *Lutherum* clementissima, & per totum Lutheranissimum redolens, invenitur apud *Goldastum in Juro suo publico*. Hujus autem **FERDINANDI I.** moderatione, hoc religiosum negotium eò perductum est, ut *Anno 1552. Passavii pacis* centur invicem *status Imperii*, ut deinceps qvicunq; statutū immediatè Imperio subjecti, liberum haberent in territorio suo, siue catholicæ, siue Lutheranæ religionis constituendæ & tractandæ jus & exercitium. Qvam transactionem postmodum, uti *Instrumen-tum Pacis Osnabruggo - Monasteriense art. 5. §. 1.* docet, *Anno 1552.* Passavii initam, *Anno 1555.* secuta est pax religionis, prout ea *Anno 1556. Auguste Vindelicorum*, & post in diversis comitiis universaliis Sacri Romani Imperii, qvoad omnia sua capitula, unanimi *Imperiorum, Electorum, Principum & Statuum* utriusq; religionis consensu inita & conclusa, confirmata fuit. Dum autem libertatem religionis per hanc constitutionem pacificam asferimus, non statuimus licentiam, qvamcunq; religionem amplectendi; Qvæ religionum confusio in bene constituta Republica minimè ferenda; neq; ulla Imperii constitutione permisa est; Sed solummodo hæc libertas religionis restringenda venit ad *Romanu Catholicam, Augustanam*, & ex unanimi *Cesareae Majestatis, omniumq; ordinum Imperii consensu*, excepto Saxone, in conventu Osnabruggo - monasteriensi, facta declaratione etiam ad *Reformatam*: Unde factum, ut mutata religione aliqua ex tribus prædictis, & accepta alia ex permisis in Imperio, nemo multari aut incarcerari: sed qvisq; à Domini religione dissentiens, liberè territorio exire, nec invitus retineri poscit. Et bæc de initio & progressu Religionis Lutheranæ in Imperio Romano Germanico, cuius religionis eandem felicitatem, & augmentum, nisi de majori certetur *Anno 1593. Mense Martio Universa Svecia* experta est, cum per *decreta Synodi Upsaliensis* vera Doctrina Lutherana approbaretur, qvam tum temporis Princeps *CAROLUS postea Rex Svecie, & CAROLUS IX. dictus*, ex singulari erga Religionem Luthernam ardore,

magnis conatibus promovebat, ex unanimi Statuum Regni Svecici consensu: Scilicet, hi una cum Principe CAROLO non levem spicandi causam habebant, fore, ut Rex SIGISMUNDUS, Romano-Catholicæ Religioni addictus, partes pro suâ tuenda non minimas fumeret, qvando in Regnum Svecie ex Polonia redux Coronam obtinuisset: Qvâ de causa ante ejus adventum, quantum poterant, sibi curæ cordiq; habebant sacra religionis Lutheranæ Jura, Regni status, unâ cum Principe CAROLO, in primis eò laborabant, ut odiosum nomen Liturgie, qvæ à Rege JOHANNE ad Lutheranam religionem extirpandam, Romano - Catholicam autem sensim approbandam, Svecico Regno insinuata erat, deleretur, Augustana confessio introduceretur, & omni modo Religioni Pontificiæ detraheretur; verebantur enim Status Regni, cum Principe CAROLO, ne Rex SIGISMUNDUS lernam papatus Regno Svecico iterum traderet; Qvam mentem postmodum suis resolutionibus Rex Sigismundus ante actum coronationis fatis declaraverat, dum scilicet decretum Concilii Upsaliensis de recepta & stabilita Religione Lutherana, tollere conabatur, qvia illud suæ Romano-Catholicæ Religioni valde obstare videbat; siqvidem non solum prior Liturgia abrogata erat; sed & elevatio Hostiæ, Exorcismus, ornatus consecrantis Pastoris, cereæ, & similia respuebantur; illorumq; in locum nova ordinatio ecclesiastica, Agenda dicta, surrogabatur. Nec minus indignabatur Rex electo Archi - Episcopo, Magistro Abrabamo, infernissimo Liturgiæ hosti; qvi ob id, Regnante Rege Johanne, Sveciâ per tredecim annos exulaverat: Et, ne ab hoc Archi - Episcopo coronaretur, iracundè semper Rex Sigismundus protestatus est, id qvod etiam impetravit, Statibus Regni cum Principe Carolo in id consentientibus, ut Episcopus Stagnensis actum coronationis in se susciperet, qvem hactenus variæ Regis resolutiones, de non confirmando Upsaliensis Concilii decreto, distulerant, & qvidem ex Consilio Romano Catholicorum, qvos Rex Sigismundus ex Polonia secum duxerat, in primis ex consilio Papalis Nuncii, Francisci Malaspine, qvi tamen omnes cum secum serio perpenderent, Regem Sigismundum, nisi annueret decreto Upsaliensi, non obtenturum finem suum, tandem Regi ut prædictum decretem

cretum Upsaliense, & alia Regni privilegia confirmaret, persuadebant; qvod anteā firmis rationibus svaferat Regius qvidam minister, nomine *Levin à Bulow*, Vir doctissimus, statusq; Svecici tum temporis peritissimus. Nec Actus coronationis, cum 'Rex *Sigismundus* statuum desideriis de Religione ita applauderet, amplius dilatus fuit, sed solitis solemnitatibus Upsaliæ, posteaq; vam multo mane istius diei, quo coronandus eset, petitam à statibus resolutionem literis consignaverat & confirmaverat, peractus est; Qvia autem Rex *Sigismundus*, ex ductu ipsum stipantium Romano - Catholicorum circa paecta, Religionem & alia Regni privilegia concernentia, neglecto Juramento, innovare ausus fuit, *Batus Regni* unanimiter Principi *Carolo* Coronam obtulere, qvi, post qvam ipsi nil sanctius erat, qvam libertatem religionis Lutheranæ & Regni leges fundamentales sartas tectasq; servare, tandem hunc, in finem administrationem Regni unà cum Titulo Regio adeptus est; cujus *Caroli* filius Rex *GUSTAVUS ADOLPHUS MAGNANIMUS*, non minore Religionis Lutheranæ amore arsit, testante pene universo terrarum orbe, per Instrumentum pacis Osnabruggo - Monasteriensis. Qvum autem de Christianæ Religionis lumine accenso & propagatione in Regno Svecico plura consignarint *Laurentius Paulinus*, *Histor. Arctœ Lib. I. Cap. 40.* & *Bazius in Histor. Eccles. Svec. Inventario*, non sine utilitate erit, hoc Jubileo tempore paulo altius illa repetere, & contractius referre. Et qvidem Anno Christi 829. (erroneè Loccenius disserit in antiquit. Sveo-Goth. de Anno 813.) Regi Sveorum, Biörno III. missus est Ansgarius Monachus primo Corbejensis, postea Episcopus Bremensis, à *Casare Ludovico pio*, *Caroli Magni filio* & successore; qvi, postqvam in *Sveciam* venit, in ejus tunc Metropoli *Birka*, DEI Verbum prædicare cœpit, & postea diversis temporibus idem feli-citer propagavit, adeo ut & Rex *Biörno*, qvi Monacho Ansgario ratio-ne doctrinae Christianæ audiens esse noluit, eapropter Regni officio abdicatus fuerit. Post Ansgarium *Rembertus*, *Unni*, *Adheldagus*, teste *Helmoldo in Chronico Slavorum Lib. I. Cap. 4. 7. 8.* Deinde *Henricus Witbamarus*, *Nitthardus*, *Herigarius*, *Hartgarius*, *Gosbertus*, *Adalvardus*, *Stephanus*, *Sigfridus*, *Eschillus*, ex Anglia; aliiq; ex Germaniâ adve-

advenerunt. His indigenæ Presbyteri longa serie succeserunt, à qvibus semen Evangelii per omnem Sveciam studiose sparsum, *DEO* incrementum dante, feliciter succrevit; nec minus dissolutum fuit gelidum illud frigus Aqvilonis à calore verbi Divini, ut loquitur *Helmodus in Chronico Slavorum*; Idq̄ tanto cum successu, ut qvum unius territorii, majorum ætate, unum duntaxat templum & una Ecclesia eset, scilicet *Olae Petri in Chronico quodam manuscripto*, nunc singulae parœciae singulis Ecclesiis æuctæ & ornatæ sint. Qvod vero deinceps humanarum traditionum & fermenti admixtum religioni fuit, ab eo, sub *Imperio & auspiciis GUSTAVI I.* Regis Svecorum laudatisimi, per orthodoxos Theologos, in primis *Laurentium Petri, Archi-Episcopum Upsaliensem*, & *Olaum Petri, Pastorem Stockholmensem* repurgata est Religio Lutherana, cuius æstimationem in *Rege GUSTAVO I.* exinde cognoscimus, qvod, non obstante *nuncio Papali, Johanne Magno, à Papa Hadriano VI. in Speciam misso*, ut Religionis Lutheranae incrementa impeditret; neq̄ obstante contradictione *Episcopi Braski*, Lutheri dogmata sana propagare jussérunt, subditosq; suos contra qvemvis turbatorem armis & sanguine defendere sibi proposuerit? Qvinimo, cum & *Rex GUSTAVUS I.* animadverteret, qvod plures concionatores Svecici novum Testamentum latinæ lingvæ non caperent, in mandatis dedit Archi-Episcopo, ut procuraret per Episcopos Regni, qvò Novum Testamentum Latinum, vertetur in Idioma Svecicum: instituebat qvoq; de præcipuis fidei articulis Disputationem publicam inter *Dochorem Petrum Galle & M. Olaum Petri*, in quo certamine hic posterior, qvia nullas alias probationes, nisi ex Scriptura Sacra desumptas, acceptare volebat, palmam reportabat. Tandem, postqvam non minus *Rex*, qvam ipsum Regnum, occulta vi, & varijs Clericorum Romano-Catholiconrum turbis diu qvassatum erat, in Comitiis publicis Anno 1527. celebratis, hoc obtentum est; ut in toto Regno Religio Lutherana deinceps colenda eset. Anno 1613. ab omnibus Regni ordinibus invariata Augustana Confessio unanimi consensu iterum acceptata est, unde illa *unio in Religione* dicitur, de qua apud Loccenium in *Synopsi Juris Publici, Dissert. 2, Thes. 3.* plura legi posunt. *An-*

no

anno 1655. à CAROLO GUSTAVO Rege Svecia laudatissimo, Edictum de Lutheranæ Religionis vero Exercitio & conservatione publicatum est. Eadem omnia, Anno 1663. sub auspiciis & mandato CAROLI XI. Regis Sveciae, Domini nostri Clementissimi, in forma Confessionis Fidei conjunctim edita sunt. Ita Regnum Sveciae amplissimum, nunc Orthodoxæ Religionis, DEO propitio, fidum factum est hospitium, & ut tale permaneat, DEum precamur, & optamus unicè speramusq; indubitanter, fore, ut Rex & Dominus noster Clementissimus CAROLUS XI. hanc nostram Religionem Lutheranam, à prædecessoribus Regibus GUSTAVO I. CAROLO IX. GUSTAPHO ADOLPHO, CAROLO GUSTAVO tam acriter propagnatam, etiam intensis nervis, armis scilicet & legibus tueatur, cujus ardoris Religiosi vestigia sat fatis invenimus, dum Rex noster Clementissimus CAROLUS XI. non solum ordinationem Ecclesiasticam novam confici curavit, qva mediante, egregius qvoad ceremonias & dogmata inter Clericos sui Regni inculcetur ordo; sed etiam novissimo tempore, hoc scilicet anno per Regium Gubernatorem, Comitem de Bielke, Proprincipem nostrum celsissimum, & Regium Regimen, qvod est Sedini, publicum Edictum de custodienda Religionis nostræ puritate & avertendis omnibus pestilentissimis sectis & hæresibus divulgari jussit. Ita est, Rex Clementissime, Religionis & cultus Divini cura fulcienda venit Regum fortissimis humeris, qvippe sine sollicitudine erga Religionem nulla diu felix ac constans esse potest Respublica; Nam Religio & timor DEI sola sunt, qvæ custodiunt hominum inter se societatem; & qvòDEI sunt metuentiores subditi, eò addictiores qvoq; sunt præceptis & jusribus sui Regis. Hinc Philosophus Aristoteles Principem hortatur, ut serio ante omnia religionem curet. Et Numa POMPILIUS secundus Romanorum Rex religionibus & divino Jure populum devinxisse fertur. ROMULUS, ut recens Regnum stabiliret, à Religione exorsus est; interim tamen Religio vel illius Jus non est propter status Interesse; id qvod jam suo tempore observavit Aristoteles, asserens; Religionem non debere servire Regimini Politico; qvamvis aliqui distinguant inter beatitudinem civilem & cœlestem, ita ut illa,

qvæ

qva ad cœlestem spestant beatitudinem, à status Politici arbitrio nullatenus dependere debeant; adeoq; de naturali tantum Theologia, (cujus capita collegit Grotius Lib. I. de veritate Religionis) accipienda esse, qva de necessitate religionis ad civilem salutem proferuntur. Qyando autem non civilem solùmmodò beatitudinem respicimus; Sed & insimul æternam animæ salutem, tunc Regis vel Principis cura de Religione sit potissima in hoc, ut subditorum animæ veræ doctrinæ præceptis imbuantur, & ad ipsa ejus penetralia progrediantur. Hinc supremæ potestati ci-vili in primis prospiciendum, ne Atheismus, & superstitione se se in Rempublicam ingerant. Atheismo enim, nulla pestis Reipub-licæ gravior oriri potest, de qua exemplum habemus, in *Vanino*, in libro de providentia divina; Qui liber et si pñ se speciosas Thes: ad probandam DEI existentiam ferat, in hoc tamen singulariter culpandus est, qvod ad stabiliendas The-ses de existentia DEI illæ rationes scriptæ fuerint, qvæ sunt loco dubitandi rationum; & econtrario rationes decisivæ in numerum rationum dubitandi redactæ fuerint: Qvam fallaciam postmodum Viri Theologi acutè iudagarunt: Qvamvis *Dominus Cartesius* in sua Philosophia, illum *Vaninum* ex hac causa igni traditum fuisse asserat, qvod privatim ex professo Atheismum docuerit. Un-de Plutarchus non immerito censuit, facilius esse, ut Urbs sine sole, qvam ut sine opinione de Deo, Respublica persistat; & melius esse, falsam habere Religionem, qvam nullam, à multis jam Politicis dicitur & legitur observatum. Superstitione autem, qvæ est per-vasio voluntatis Divinæ de eo, qvod tamen Deus nunquam voluit, et si præter Jus & Religionem introducatur, aliquando Rei-publicæ præsidio fuerit; de quo exempla ex *Curtio, Tacito, Valerio Maximo* afferri possent, si quis dubius hæreret; attamen, si super-stitione pro voluntate Divina obtrudatur, qvin tum ea maximè bo-no publico nocere possit, nullum est dubium. Nec minus peri-culosa est Principi vel Statui Religionis mutatio vel variatio, in primis si mutandæ Religionis Doctrina Verbo Divino con-sentanea reperiatur. Sic mutationis periculum evitare volue-runt Romani, qyando de illis apud *Valerium Maximum* legitur, qvod

quod, cum repertis duabus arcis lapideis, in harum altera corpus  
 Numæ Pompilii repertum fuerit, in altera reconditi fuerint libri  
 latini septem de Jure Pontificum; totidemq; Græci de disciplina  
 sapientiæ; latinos magna diligentia asservandos curarint, Græcos  
 verò, qvia aliquæ ex parte ad solvendam Religionem pertinere  
 existimabantur, ex authoritate Senatus in conspectu populi cre-  
 marint. Noluerunt enim hi viri sapientes qvicqvam in  
 civitate asservari, qvo animi subditorum à Deorum cultu avoca-  
 rentur. Hinc Tiberius, quem Tyrannum fuisse legimus, videns,  
 in qvam insigne periculum statum suum conjiceret, si in ea no-  
 vam religionem introduceret, compescuit, sicut *Tacitus* refert, Ægy-  
 ptios Judaicosq; ritus, coactis, qvi superstitione eâ tenebantur, ve-  
 stes religiosas cum instrumento omni comburere; Judæorum ju-  
 ventutem quoq; per speciem juramenti in Sardiniam provinci-  
 asq; gravioris cœli distribuit, reliquos gentis ejusdem, vel similia  
 sectantes, urbe submovit, sub pœna perpetuæ servitudinis, nisi obtem-  
 perassent. Qvinimò legibus XII. Tabularum prohibitum fuit,  
 ne qvis novos peregrinosq; haberet Deos, nisi publicè adscitos:  
 Potius *Principes* vel *Reges* operam dare debent, ne Ecclesia in suis  
 territoriis varietate dogmatum distrahatur, cum inde plerumq;  
 animorum distractio seqvatur, qvæ ad graviores Reipublicæ fa-  
 ctiones occasionem præstare solent. Quid enim controversiæ de  
 Religione ad turbandom status tranqvillitatem valeant, haud i-  
 gnorarunt Romani, qvorum Legem exhibit *Valerius Maximus*  
*Lib. I. cap. 3.* & nostra Germanorum exempla in hoc seculo sa-  
 tis docent. Cum contra de DEO habere eandem sententiam,  
 nihil vita & institutis inter se discrepare, pulcherrimam inter ho-  
 mines concordiam excitet. Non autem *Rex*, vel *Princeps* contro-  
 versias Theologicas dictatoria dirimat authoritate, aut assensus  
 obseqvium detrectantes, exilio, fustibus, ferro, flamma aut morte  
 coercent: sed summos, in Religione Christiana exercitatisimos  
 Theologos exhortetur ad controversias, amico colloqvio ex ipso  
 verbi Divini genuino sensu, siue omni affectu, sincerè definien-  
 das: Nam tota animorum res est Religio, svadenda, non cogenda,  
 svadenda rationibus & scripturarum auctoritate; non bello &

C

armis

armis propaganda. Corpora vis & potestas subigit ; animis nemo imperat, qvām qvi illos amore & benevolentia fecerit suos : Ceterum *situs Deus* iis dominatur, qvi & solus plectere potest, si quid peccarunt, vel spontē sua, vel ab aliis decepti. Non creditum aliter in vetustissima Ecclesia fuit, non aliter patres Sanctissimi docuerunt : Et magis informamur de hac materia *ex Dom. Doct. HENNINGI Disp. de Domin. conscient. digna*, qvæ legatur. Sed absq; præscitu & mandato *summa Potestatis* non facilè ad falsas religiones amoliendas vel hæreticum aliquem declarandum occupati sint Theologi ; ita interpretanda est *lex Deuteronomii c. 7. v. 5.* *Altaria eorum diruite, statuas frangite, lucos succidite, scutaria comburite &c.* Et Augustinus eum locum exponens ita dicit, *cum acceperitis potestatem*, hæc facite ; bene notandum, qvod à Rege vel Principe, vel ab eo cui summa in territorio potestas competit, prius *potestatem* expectare debeant Theologi, anteqvam ad controversias de religione dirimendas profiliant, & aliquem vel hæreticum vel schismaticum declarent ; nam potestas aliquem hæreticum declarandi non competit privatis, neq; ad Clericū pertinet ; sed ad Jura Principis circa sacra & est regale, qvod à Principe *CHRISTIANO secundum* normam verbi Divini debet ordinari. Ita observatum fuit in primitiva Ecclesia, & primis conciliis Oecumenicis. Ita genuina Politices principia docent. Et officium boni Civis in Imperio Romano-Germanico reqvirit, neq; publicè neq; privatim in Religiones, qvæ in eo juxta instrumentum pacis tolerantur, verba contumeliosa facere. Qvinimò Princeps Jure suo utitur, si refragantes & zelo aliquo intempestivo subnixos justis pœnis coercent, qvia placida via magis facit ad convertendos Adversarios in Ecclesia, qvām importuna illa, qvæ injuriis verbalibus instructa est. Utinam hæc serio Principes attenderent, multis certè rixosis, illud Augustini, *cum acceperitis potestatem*, inculcare possent. En paganorum templa in orbe Romano ante *Confanti* legem clausa fuere ; Qvinimò Concilium Elibertinum eum qvis sine summæ potestatis præcepto idola fregerat, & ibidem occisus fuerat, vetabat iu numerum recipi Martyrum. Nec prohibetur Rex vel Princeps, si in Sacro Sanctis lite-

ris

ris ipse versatissimus fit, aut sententiam suam in ipso disquisiti-  
onis actu dicere, aut de iis, qvæ decreta à patribus sunt, prius-  
quam ea confirmet, sana mente judicare. Et licet qvidam ob-  
jicient, fieri non posse, ut, qvi tanta negotiorum mole distrin-  
gitur, religioso huic negotio vacet; regerendum tamen, qvod Sacro-  
rum cognitio non sit res intricata. Theologia, inquit *Nazianzenus*, est  
res simplex, & nuda, sine magno artificio divinis constans testi-  
moniis; qvæ tamen prave à qvibusdam convertitur in artem dif-  
ficillimam. Nec deest *summis potestatisbus* divinum auxilium in hoc  
negotiorum genere: Respiciamus modò Regem & prophetam  
David, inqvientem: *Sapientiam tuam abstrusam scire me fecisti.*  
Adolescens erat *Salomo*, nescire se fatebatur, qvomodo gressus  
suos regeret, perculerat ipsum populi multitudo, negotiorum  
moles: *Qvis, inquit, judicare poterit populum istum tantum?*  
*DEUM* igitur orat, largiatur sibi cor intelligens ad judicandum,  
populū, ad discernendum inter bonum & malum. *Quid DEUS? Qvan-*  
*do, inquit, non longævitatem, non opes, non animam inimicorum po-*  
*stulasti; sed intelligentiam ad audiendum judicium; ecce feci juxta ver-*  
*ba tua; ecce dedi tibi cor sapiens & intelligens.* Qvod autem *Rex*  
*vel Princeps*, cui in territorio *summa potestas* competit, de Sacris  
judicare possit, etiam exinde extra omnem dubitationis aleam  
positum est, qvod & illorum Principum judicia de Sacris vale-  
ant, qvi de rebus divinis non recte sentiunt, aut *DEUM* non re-  
cte colunt, modò cum lege *DEI* non pugnant. Impius erat Pha-  
rao, non ausus tamen Hebræorum populus ad sacrificandum  
finibus Ægyptiis egredi, nisi ejus permisso; *Qvia scilicet ipsum*  
qvidem sacrificium erat à *DEO* imperatum, ac proinde extra Jus  
Regis; Sed locus divina lege indefinitus, ac proinde non ex-  
emptus erat obedientia, qvæ Regi debebatur. Cyrus, & qvi  
post eum Persis imperarunt, falso Deorum cultui implicitos fu-  
isse, loquuntur historia; attamen horum sine venia nefas He-  
bræis fuit, templum *DEO* verò reponere. Controversia de tem-  
plo Hierosolymitano & Garizitano à Judæis & Samaritanis Pto-  
lemæo Rege Ægypti Judice disceptata est, & qvidem ex lege Mo-  
saica,

saica, qvanquam Rex ipse Mosaicis institutis non adhærebat. Impius erat *Felix*, Romani Imperatoris vicem gerens, nihilominus Paulus à Tertullo accusatus, ab illo judicatus est. *Archelaus Episcopus* contra Manetem hæreticum disputavit Marcello, viro illustri, Judice, qui Asseſores sibi illius Iudicij elegerat Philosophum, Medicum, Grammaticum, & Rhetorem, omnes paganos. *Athanasius Laodiceæ* contra *Arium* fidem Catholicam defendit *Probo Gentili* Judice, Vice Imperatoris præsidente, qui & causam Athanasio adjudicavit. Cum Vandali Africam obtinerent, paratus fuit *Eugenius Catholicae fidei Episcopus, Hunnerico Rege*, Ariano Judice, contra ipsos Arianos disputare; sed ab illis conditio repudia- ta est. *Sergius Paulus Proprætor*, Vir fuit intelligens, Christianus non fuit, cum inter *Paulum Apostolum* & *Elyman Magum* Judex federet; sed inter judicandum factus est, ut crederet: *Qvod & Regi Agrippæ* pro tribunali juxta Romanum Præsidem sedenti, paulo minus evenerat; *propemodum, inquit, mihi persuades, ut Christianus evadam.* Et qvamvis ita amplius non negandum, qvod summis Poteſtibus, etiam iis, qui non recte colunt DEum, judicium de Sacris competit, attamen, non eo extendenda *est summa Poteſtas*, ut, si qvid ab illa potestate contra legem DEI naturalem, sive positivam divinam statuatur, nos inde teneamus parere; siquidem eiusmodi obligatio nullo modo ad agendum inducit; sed duntaxat ad patiendum; idq; tūm demum, ubi pena evitari non potest, niſi vi opposita. Nam aliud est *injuriam pati*, aliud *omittere actionem à DEO imperatam*; id qvod à viris alioquin sagaci- cus confundi ſæpius miror. Sed, qvid si Rex, vel summa poteſtat in territorio animabus Subditorum imperare, easq; ad aliam Religionem, qvæ fortè Principi placet, & in qua educatus est, astu- tia & vi armata cogere velit, quale exemplum proximè antece- dentibus annis sub *Rege Galliarum LUDOVICO XIV.* contigisse, & in magna Britannia sub *Rege JACOBO II.* incepisse, sat fa- tis edocti sumus. Tunc qvidem regula illa antiqua & pia ob- tinet, qvod DEO magis obediendum fit, qvam hominibus; & si qvæ vis eo nomine ingruat, præstat patientiæ gloria, qvam vim econtrario parare; Ita nimirum Petrum Christus, ita nos Petrus in- ſitu-

stituit; grave nobis esse non debere, si qvid mali patiamur ut Christiani; fugere licet, precari licet; fugit *Elias*, fugit *Urias*, Propheta uterque. Fugere ex Urbe in Urbem alteram Apostolis permittit Christus, fugit *Cyprianus*, *Athanasius*; Et aliud, inquit, Nazianzenus, contra persecutorem non est remedium. Coactus sum, repugnare non novi, dicit *Ambrosius*. Et milites Christiani, inquit porro *Ambrosius*, servierunt Imperatori infideli; quando autem hic infidelis Imperator volebat, ut idola colerent, ut thurifificarent, præponebant ei Deum; distinguebant Dominum æternum à Domino temporali, & tamen subditi erant propter Dominum æternum etiam temporali. *Eusebius*, pius Samosatæ Urbis Episcopus, pulsus *Valentis* Imperio, populum retinere se volentem, ex præceptis Apostolicis edocuit, quanta præceptis Imperialibus reverentia deberetur; atque ita imminentem jam seditionem compescuit; nec ego me vallabo, inquit, circumfusione populorum: quæ de causa nec illud memoria indignum est, quod, cum Nicomedix propositum esset Edictum crudele *Maximiani* & *Diocletiani* contra Christianos, quod Scripturæ Codices comburi, Basilicæ destrui, ipsi autem Christiani cruciari jubebantur, unus tantum Christianus inventus fit, qui Edictum discerpserit; quem, cum in eum hoc nomine extremo supplicio animadversum esset, Christiani ceteri jure casum pronunciarunt. Hæc itaque ostendunt, quædam altè Christianorum animis hæserit vox illa Domini, quæ gladium vertat arripere. Arripit autem gladium qui non à DEO accipit; Dedit autem Deus soli summa potestati gladium, aliis non, nisi per illam: Neque ulla Veteris Testamenti exempla contrarium evincunt. Nam quod à quibusdam Regibus populi aut civitates quædam defecisse narrentur, & causæ ad Regum referantur impietatem, in eo Divinum Judicium describitur, non hominum facta laudantur. Vidimus itaque in hoc discursu sacrum Religionis Jus, in primis quod Religionis Lutheranæ initium & progressum in Imperio Romano-Germanico, & deinde in Regno Svecico. Vidimus insuper in superioribus paginis, quanto Lutheranæ Religionis amore Rex noster clementissimus flagret. Quod ut eò testatus redderet, nobis indixit Festivitatem Jubileam, in memoriam

*Religionis Lutheranae in Svecia confirmatae*, qva de causa, & mearum partium esse statui; qvi non solum Regi meo clementissimo CARO-  
LO XI. annatus Subditus, sed & in hacEjus Universitate Gryphica  
enutritus & condecoratus sum, piam Regis mei Clementissimi volun-  
tatem devota & humillima mente adimplere: Id qvod hoc tem-  
pore per vilem qvidem, sed obseqviosum meum discursum de  
sacro Religionis Jure sustinere conor; Ubi insimul deprædicare non  
intermittere possum ingentem pro Religione zelum Regis nostri  
Clementissimi CAROLI XI. Optime enim novit, qvod Princi-  
pum sit, ut pietatem curent, à qva universa spes pendet publicæ  
felicitatis. Non domi, non foris aliquid prosperè geritur, ubi  
negligitur DEUS; & pietate collapsa, omnia ruunt. Perdidit  
Deos, priusquam periret Troja, & cum in ignes consideret Ilium,  
excesserant aditis omnibus DII. Hinc Regi nostro Clementissimo,  
ne qvis veritatem sensus de DEO corrumperet, ne qva sanctissi-  
mam fidem nostram, ac verè Catholicam, manu astutè subvertere  
conaretur perfidia, vigilancia intenta semper fuit & est. Nam &  
Theologorum conventus egit, & libros conscribendos præcepit,  
qibus assereretur cœlestis veritas, cavillationes autem & strophæ  
sophistarum refellerentur. Qvasne supplicationes & preces sub-  
inde instituit? nunc ubi mitiganda ira Numinis, nunc, cum be-  
nignitati illius pro summis collatis beneficiis canenda  
laudes & gratia esfent. Quid in his egit aliud, qvam simul ut  
suos efficeret pios, & *semetipsum exhiberet pium*; *quem* alias  
probavit etiam, non certæ observationis rigore, aut superstitione  
delectu temporum; sed libero & pio affectu, qvi non in oculos  
semper incurriteret; sed intra animi deflagraret arcana, non nisi DEO  
estimandus. Dies qvidem totas orare, & semper assidere altaribus,  
Sacerdotem magis, qvam Regem deceat, qvi, sibi cum subjicit, cuius  
in terris sustineat vires, & his egregie & sedulò fungitur, tum  
pius maxime, Deoq; gratissimus est; Qvippe qvi, nec formulæ  
ambitu, & ceremoniis anxiis; sed fide & simplicitate exora-  
tur. Et qvia tam pium Regem veneramur, qvi nobis hoc solempne  
festum in memoriam Religionis Lutheranae in Svecia confirmatae a-  
peruit, meritò nobis hoc tempus venerabile, festum, & sacrum in-  
poste.

posterum est; Qvod usq; cogitem, usq; revolvam cum animo & colam, cuius nunquam meminero, qvin sacro qvodam gaudio replear, & veluti stimulis qvibusdam conciter, qvi agant animum atq; inflammet ad hoc tempus magni faciendum.

DEum Ter optimum Maximum devota mente veneror, eundemq; precor, ac rogo, ut Invictissimum Principem, CAROLUM XI, Regem & Dominum nostrum clementissimum, Reginam HEDEWIG ELEONORAM, Regiam Matrem, Dominam nostram clementissimam, unà cum Regia Uxore, ULRICA ELEONORA, Regina & Domina nostra clementissima; Ut & Coronæ hæreditarium Principem, CAROLUM XII. Principem Finlandiæ &c. &c. Dominum nostrum clementissimum, perpetuo tueatur ac prosperet, Sveonum pariter ac Pomeranorum Regiorum populum profligatis perduellionibus ubiq; salvum, ubiq; incolumem, ubiq; compotem libertatis, compotem Religionis terra mariq; semper præstet,

stet, & bonis auctibus augeat; hostes verò  
& inimicos ejus felicitatis, magis ac ma-  
gis qvotidie frangat, imminuat, penitusq;  
evertat; ut contra lientes invictus Se-  
-ptentrio semper floreat, semper tri-  
umphet, decus orbis, gloria  
populorum.








# DE SACRO RELIGIONIS JU

temporis, qvam tractatum circumstantiis per disfidii religiosi componendi rationem superes **DINANDI I.** tum *Rom. Regis* ingenio res hæc eit, cujus epistola ad *Lutherum* clementissima, theranisimum redolens, invenitur apud *Go publico*. Hujus autem **FERDINANDI I.** moderatum negotium eō perductum est, ut *Anno 1551* rentur invicem *Statut Imperii*, ut deinceps qvicudiatè Imperio subiecti, liberum haberent in ter tholicæ, sive Lutheranæ religionis constituend & exercitium. Qvam transactionem postmodum *Pacis Osnabrugg - Monasteriensis* art. 5. S. 1 Passavii initam, *Anno 1555*. secuta est pax r. *Anno 1556*. *Augustæ Vindelicorum*, & post in diversibus Sacri Romani Imperii, qvoad omnia sua *Imperatoris*, *Electorum*, *Principum* & *Statuum* consensia inita & conclusa, confirmata fuit. Datem religionis per hanc constitutionem pacifica statuimus licentiam, qvamcunqve religionem religionum confusio in bene constituta Repub da; neq; ulla Imperii constitutione per solummodo hæc libertas religionis restringend *Catholicam*, *Augustanam*, & ex unanimi *Cesare umq; ordinum Imperii* consensu, excepto Saxone nabrugg - monasterensi, facta declaratione tam: Unde factum, ut mutata religione aliquætis, & accepta alia ex permisis in Imperio, incarcerari: sed qvisq; à Domini religione dis ritorio exire, nec invitus retineri possit. Et b gressu Religionis Lutheranae in Imperio Romano Ger gionis eandem felicitatem, & augmentum, natur *Anno 1593*. Mense Martio Universa Svecia exp eretum *Synodi Upsaliensis* vera Doctrina Luther qvam tum temporis *Princeps CAROLUS* postea ROLUS IX. dictus, ex singulari erga Religionem

B 2



ullam  
FER-  
redita  
n Lu-  
ro suo  
ligio-  
ciscen-  
mme-  
ve ca-  
læ jus  
numen-  
1552.  
out ea  
iversa-  
animi  
gionis  
berta-  
, non  
; Qvæ  
feren-  
Sed  
omano  
omni-  
u Os-  
form-  
prædi-  
ri aut  
rè ter-  
pro-  
s reli-  
certe-  
per de-  
aretur,  
& CA-  
rdore,  
agnis